

impiis dicitur, *quod videntes non videant*, eius rei rationem esse, quia videntes oculos claudant; fatetur, impios non posse dici illuminatos. Num enim sol eum illuminare potest, qui oculos claudit?

Quid itaque mirum, irrogenitos scripturae sacrae stilo etiam dici *caecos, excaecatos, non videntes*. Sunt quippe, qui nullo respectu habent oculos, dum nil lucis verbi diuini habent in intellectu suo, alii vero habent aliquid lucis, vel in minori, vel maiori gradu, quatenus ipsorum cognitio modo est amplior, modo angustior, & tamen non vident, quatenus cognitione illa uti recusant. Aliqui successu temporis, quia non resistunt gratiae conuertenti, conuertuntur per lumen illud intra intellectum eorum admissum, & radii huius lucis ipsorum quoque flectunt ac dirigunt voluntatem. Nonne itaque fuere illuminati? aut dicendum, quod absque praeuio spiritus sancti lumine fuerint conuersi? Quod affirmare nemo facile audebit, qui scripturae sacrae veneratur auctoritatem.

*Nonne itaque fuere illuminati? aut dicendum, quod absque praeuio spiritus sancti lumine &c.*) Secundum stilum scripturae sacrae omnes irrogeniti sunt *caeci, non videntes, excaecati*. Licet itaque diuersi dentur gradus cognitionis ante conuersionem, nemo tamen stilo scripturae illuminatus dicitur, quam cum conuersus est, adeoque lumen illud diuinum effectum debitum adsecutum est. Dum autem negamus, eiusmodi homines ante conuersionem illuminatos dici posse, nequiquam inde sequitur, quod *absque praeuio spiritus sancti lumine fuerint conuersi*. Verbum enim illud diuinum, quod ante conuersionem cognitum habuerunt, utique est lumen spiritus sancti. Sed ad effectum debitum, seu illuminationem hominis pertingere non potuit, donec remotis obstaculis, homo conuerteretur. Quam primum autem homo resistere aut repugnare desinit, tum per illud ipsum verbum, quod cognitum habet, seu per lumen spiritus sancti, conuertitur & illuminatur.

Recte